



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Qvarta Post Epiphania, Euangelium Matth. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

DOMINICA QVARTA POST
Epiphania, Euangelium
Matth. 8.

ET ASCENDENTE EO IN NA-
uiculam, secuti sunt eum discipuli
eius. Et ecce motus magnus factus
est in mari, ita, ut nauicula operiretur flu-
ctibus. Ipse uero dormiebat. Et accesserunt
discipuli, suscitauerunt eum dicen-
tes: Domine salua nos perimus. Et dicit
eis: Quid timidi estis, modicæ fidei?
Tunc surgens comminatus est uentis &
mari, & facta est tranquillitas magna.
Homines autem mirati sunt, dicentes:
Qualis est hic, quia & uenti & mare obe-
diunt ei.

¶ Loci quatuor.

- I Imago periculorum & ærumnas-
rum ecclesiæ.
- II De dubitatione in inuocatione.
- III Quod maneat in sanctis etiam in-
firmitas.

Con

IIII Consolatio, in qua apparet etiam
infirmam fidem exaudiri &
iuuari.

DE PRIMO.

Nihil est admirabilius inter opera dei, quam *Conseruatio*
gubernatio & conseruatio Ecclesie, inde *ecclia ad*
usq; ab initio mundi, *populus dei est exigua*
guus coetus, oppressus ingentibus arumnis, & defor=
matus multis scandalis, sicut inquit Paulus. *Infirmam*
mundi elegit deus. Et Christus ait: *Ago tibi gratias*
pater coelestis, quod haec reuclasti paruulis. *Hec spe*
cies ecclesie non leuiter mouet humanos animos, qui
cogitant magis populum dei esse maiorem multitu=
dinem, tenentem imperia, florentem gloria, uirt. c. s. a
pientia. *Item tenentem ordinariam gubernationem,*
Ut principes Iudaici iudicabant se esse ecclesiam, non
apostolos, qui erant pauci, & tanquam seditiosi ad=
uersabantur pontificibus. *Oportet igitur pios fir=
missime tenere doctrinam de uera ecclesia. Quod ibi*
fit ecclesia, ubi uerbum dei recte traditur, sine impijs
dogmatibus, & sine impijs cultibus. *In tali coetu ne=
cesse est esse aliqua uiua & uera membra ecclesie.*

Iam illa est mira sapientia, Cur deus suam ec=
clesiam, quam pronunciat esse iustam, sinit tam duri=
ter

DOMINICA IIII.

ter exerceri. Rationes duae sunt.

*Duae ra-
tiones
cur dicitur
ecclesia
patiatur
affligi* **I** Quod haec ipsa ecclesia iustorum adhuc habet
peccatum, quod uult deus agnosci à pijs, & mortifica-
ri. sicut Paulus inquit. Corpus morti destinatum est
propter peccatum. Et Petrus: Iudicium à domo dei
incipit. In secundis rebus non sentimus iram dei aduer-
sus peccatum, ideo languescunt animi, fiunt ignaui,
obliuiscuntur dei. Vt igitur peccatum agnoscamus,
ecclesia subicitur ingentibus ærumnis, quibus admo-
nemur, ut inuocemus liberatorem filium Dei. **Di-**
ctum est ad Cain: peccatum tuum quiescet, donec re-
uelabitur, ubi breui uerbo significata est illa totius
mundi securitas: cum ait, peccatum quiescet, scilicet,
in impijs poenae differuntur, non cernitur ira dei. **At**
in ecclesia non quiescit peccatum, sed agnoscitur, in-
cutit errores, & magno certamine uincendum est.
Ideo propositæ sunt ærumnae.

*Q
Dicitur
ad Cain
qd sig-
nificat.*

11.

Secunda ratio est, quare ecclesia subiecta est ærum-
nis, **Quia** deus uult potentiam filij sui ita fieri con-
spectiorem, cum uincit diabolum per infirmos. **Nam**
in hoc certamine, nos non sumus duces, tantum mili-
tes uel instrumenta sumus. **Diabolus** ardet odio dei
& belligeratur cum filio dei, hunc uincit filius dei
in ecclesia infirma: sicut restituit **Adam** lapsum, sic-
ut conseruauit ecclesiam, seuientibus in eam om-
nium temporum tyrannis. **Sciamus** igitur nos ad hoc
certamen

certamen uocatos esse, ut in nostra infirmitate luceat confessio & gloria dei. **H**as causas intueamur in omnibus ærumnis, & sciamus deo obediendum esse, qui subiecit ecclesiam talibus afflictionibus. **A**c meminerimus nos oportere agnoscere & mortificare peccatum, etiamsi id in impijs quiescit, hoc est, in præsentia nec iudicatur, nec punitur.

Huc pertinent plurimæ sententiæ. **H**umiliamini sub potenti manu dei. **I**tem **P**salmi 36. **S**ubditus esto deo, & expecta eum. **H**æc tota doctrina ignota est rationi, philosophiæ & legi, sed in euangelio proposita est, cur affligantur iusti. **I**tem, quod deus uerè exaudiat inuocantes ipsum in afflictionibus. **Q**uod **D**eus sanet contritos, quod sacrificium deo sit spiritus contribulatus.

Hæc de primo loco breuiter monui, in quo singuli cogitemus de nostris ærumnis, præsertim illis, quæ comitantur nos, postquam in nauim **C**hristi conscendimus. **H**æc nauicula concutietur ingentibus procellis. **D**iabolus impellit tyrannos ad eam delendam, serit scandala horribilia & inextricabilia. **S**ed propter hæc non deficiamus à ueritate. discamus item regi ecclesiam non humanis consilijs, sed diuinis. ac deum uelle ut non nitamur nostris consilijs & præsijs, sed simpliciter obtemperemus uocationi, & ipsum inuocemus.

C **S** **S**ecundum

DOMINICA III.

SECUNDVS LOCVS.

De dubi-
tatione
in inuo-
catione

Magni
peccati
dubita-
re in af-
flictio-
nibus et
misericor-
dia dei

Naturaliter dubitant animi, praesertim in af-
flictionibus, an deo curae simus, an sit nos ser-
uaturus, an uelit exaudire. Hoc ingens & ar-
canum peccatum, non intelligunt Hypocritae. Imo
fingunt has tenebras & dubitationes non esse pec-
cata. Hic error maxime reprehendendus est in eccle-
sia. Et discrimen facit doctrina de fide inter eccle-
siam, & omnes alias sectas. Est enim mandatum dei
aeternum & immutabile, ut credamus in filium dei,
hoc est, ut credamus nobis propter filium dei igno-
sci, nos recipi, curae esse deo, exaudiri a deo, & seruan-
dos esse. Ideo toties scriptum est: Orate sine haesi-
tatione. Oret in fide nihil hesitans, Imò cum du-
bitatione semper coniuncta est indignatio aduer-
sus deum. Superantur autem impij dubitatione, sed
sancti cum dubitatione luctantur, & uincunt eam
fide.

Hac doctrina in conspectu nobis esse debet in o-
mni inuocatione, & clauditandum est. Domine ad-
auge nobis fidem. Item, Credo domine, sed adiuua
incredulitatem meam. Colligendae sunt etiam senten-
tiae & exempla, quae prohibent dubitationem, ut:
Omnis qui confidit in eum non confundetur. Item:
Fides tua te saluam fecit. Et in hoc euangelio Chri-
stus obiurgat apostolos, Quid timetis, seu potius tre-
pidatis

pidatis, uos modice fidei.

Diligenter autem considerandum est discrimen, ubi sit dubitatio impia, seu quæ nominatim credi & expectari oporteat, uidelicet promissionem euangelij propriam, quod deus propter Christum tibi uelit ignoscere, te recipere, te exaudire & saluare. Hæc necesse est credi, & præluere hæc generalis fides, in omni inuocatione debet. Quia est mandatum immutabile & uniuersale: Hunc audite. Omnis qui credit in filium saluabitur. Qui nõ credit in filium, manet iræ dei super eum.

Sed de euentibus periculorum corporalium regula tentenda est: Quod deus in his quoque opitulari nobis uelit, uelit innocari, sed tamen requirat obedientiam, etsi euentus gubernat, mitigat, aliàs aliter. Ideo sic petamus, ut tamen ad obedientiam in his corporalibus afflictionibus parati simus. ut Dauid pulsus in exilium, petebat se reduci, credebatur sibi condonari peccatum, se exaudiri, deum opitulaturum esse, se habiturum esse uitam æternam, Sed hunc corporalem euentum deo committebat, etsi liberationem seu mitigationem petebat, & tamen ad obedientiam paratus erat, sicut inquit: Si uolet dominus reducet me, si non uolet, fiat uoluntas domini. Sic exercuit deus omnes sanctos, gubernauit euentus longe aliter, quàm ratiocinari humana mens

DOMINICA IIII.

mens potest. Moyses cum educebat populum ex Aegypto, nequaquam existimabat, tantum exercitum quadraginta annos in deserto regendum esse. Non praeuidebat futuras tot seditiones, tantum scandalorum. Tandem inducit deus populum in terram promissam. Ita euentus longe aliter gubernatur, quam cogitare Moyses poterat. Ieremias erat suasor, ut populus proficisceretur in exilium, & affirmabat redituros esse, sed quomodo, quid ducerent redituri essent, nesciebat. Ita nos oportet uocationi parere, & euentus corporales deo committere, & tamen exercere fidem in inuocatione, & petere, ut deus gubernet & moderetur pericula & euentus.

TERTIVS LOCVS.

Testimonium hic extat. Quod in sanctis sint peccata, ut hic in apostolis trepidatio propter infirmitatem fidei. Metuebant se & dominum perituros esse, cum uocationem Domini nossent. Haec infirmitas multa peccata gignit, quae tamen ratio non satis iudicare potest. Saepè peccant omnes. uel securitate uel diffidentia, ut nunc multi iniusta diffidentia quaerunt praesidia inconcessa.

QVARTVS LOCVS.

Proponitur dulcis consolatio, quod etiam infirmam fidem deus exaudiat. & sunt multa similia exempla, ut in Marco: Credo domine, sed adiuua

adiuua incredulitatem meam. Hæc exempla monent,
ut agnoscamus infirmitatem, & tamen non deterrea-
mur ab inuocatione, sic enim crescit fides, cum magis
magisq; exercetur. Sicut dicitur: Habenti dabitur.

DOMINICA QUINTA POST
Epiphania, Euangelium
Matth. 13. *decimo tertio*

DE ZIZANIIS.

ALIAM PARABOLAM PRO-
posuit eis dicens: Simile est regnū
cœlorum homini qui seminauit
bonum semen in agro suo. Cum autem
dormirent homines, uenit inimicus eius,
& super seminauit Zizania in medio tri-
tici, & abiit. Cum autem germinasset her-
ba & fructum fecisset, tunc apparuerunt
& Zizania. Accedentes autem serui pa-
trisfamiliæ dixerunt ei: Domine, nonne
bonum semen seminasti in agro tuo? un-
de ergo habet zizania? Ille autem ait il-
lis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem
dixerunt